Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31639
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

mortui. omnes sepulti. omnes etiam suscitati. Prae-
ta piissime deus ut qui in assumpta carne pro nobis
dignatus es pati. regni tui nobis consortia lar-
giaris. Memoria quoque tenendum est. quod hic psal-
mus tertius est eorum qui de passione domini et
resurrectione latius sunt locuti. In finem pro populo qui
L.V. a sanctis longe factus est. David in tituli inscriptione cum tenuerunt eum allophili in geth.

Titulus hic duplicia continet sacramenta. Una
pars est evangelii. usque ad illud quod ait. in tituli in-
scriptione alia veteris testamenti usque ad finem
tituli. Primo dicit in finem. quod Christum significa-
re frequenter expositum est. deinde pro populo qui a sanctis
longe factus est. David in tituli inscriptione dix-
imus in passione domini ideo non fuisse deletam.
quia longe ante fuerat prophetatum. Haec corrum-
pas tituli inscriptionem. Sed pontio pilato iu-
daicus populus imminebat. ut contra vaticinia pro-
phetarum huius tituli emendaretur inscriptio
nolens suum regem dici. quem insanis menti-
bus respuebat. Quae voluntas eos longe fecit
a sanctis. quando fideles Christum regem suum dici to-
ta mentis intentione festinant. Cum tenuerunt
eum allophili in geth. Hoc est quod regum tertius
enarrat. quia david saulis insecutione perter-
ritus. in civitate geth apud allophilos se credi-
dit occulendum. Sed quia diximus haec omnia
mysticis similitudinibus exponenda. geth sig-
nificat torcular. id est pressuram. quam omnis pati-
tur christianus. Sed tunc fructum reddet uberrimum.
cum tribulationum fuerit fasce depressus. Et ideo
in tali superscriptione loquens rationabiliter aptatur
ecclesia. quae allophilorum id est alienigenarum persecutio-
nibus aggravata. tamquam nectareos liquores
merita sanctorum copiosa ubertate profundet.

Diversis afflictionibus onerata. Divisio psalmi.
In prima sectione psalmi orat mater ecclesia. con-
fidens se tamen a sequentibus inimicis esse libe-
randam. Secunda sectione populos enumerat passio-
nes. gratias agens quia de crebris periculis sit erep-
ta. nec se dicit formidare mala quae cognoscit
esse celeriter transitura. Tertio loco in futura
illa beatitudine laudes se dicit domino iu-
giter cantaturam. qui eam de huius saeculi adver-
sitate liberavit.

Miserere mihi domine quoniam conculcavit me
homo. tota die bellans tribulavit me. Vir-
go mater ecclesia quae fideles populos parit. nec
a sua integritate discedit. caelestem sponsum precibus la-
crimis rogat. ne se patiatur ab inimicis obpri-
mi. quae adhuc in mundi istius cognoscitur ca-
lamitate versari. Conculcavit. recolit quod in ti-
tulo dixit ad torcular. quia tantum vinum
exprimitur. quantum cum uva calcatur. Hominem
hic significat absolute diabolum. sicut in evangelio
de eo dominus dicit. Inimicus autem homo qui super-
seminavit zizania est diabolus. Sequitur. Tota die
bellans tribulavit me. Describit quid in hoc mun-
do sancta patiatur ecclesia. quia sine aliqua inter-
missione. diaboli cognoscitur certamina susti-
nere. sicut dicit apostolus. Haec est nobis colluctatio ad-
versus carnem et sanguinem. sed adversus prin-
cipes et potestates tenebrarum harum. Bellum
genere quia occultum. pugna difficilis. quia cum for-
tiore dimicatur. Quale est enim cum hoste con-
fligere. et eius insidias non videre. Adversarius
quoque noster nec labore deficit. nec victus aliquando
discedit. sed tanto atrocior redit. quanto eum
per divinam gratiam debellari posse contigerit.
Bellum vero scematice per antifrasin dicimus.
sicut lucus qui non lucet. et piscina quae non habet pis-
ces. Quapropter nullus se queratur fidelium
frequentissima diaboli machinatione vexari. quia
si christi esse volumus. hinc adversum diabolum sus-
tinemus. Conculcaverunt me inimici mei tota
die ab altitudine diei. quia multi qui debellant me
timebunt. Gravissimum quidem genus iniuriae est.